

tremum dati sunt. Et primo quidem ab senatu praesidium petiverunt, <ut> de Clodio, potentissimo homine, liberius iudicaretur. Verum ita res cecidit, ut in eum multi grave testimonium dicerent: quorum in numero Marcus ipse  
 5 Tullius interrogatus ait ad se salutatum venisse ipsa die Clodium, qua se ille contenderat Interamnae fuisse millibus passuum ferme LXXX ab urbe disiunctum; quo scilicet videri volebat incesti Romae committendi facultatem non habuisse. Et post haec ab iudicibus XXV dam-  
 10 natus est. Praevaluit tamen ad eius victoriam maior eorum numerus, qui absolverunt, nam XXX et una pro eo sententiae latae sunt. Inde igitur kapitalis inimicus in M. Tullium coepit efferri et, cum illo anno potestate quaestoria fungeretur, apud populum creberrimis eum con-  
 15 tionibus lacessebat; minas quin immo praetendens ad familiam se plebeiam transiturum, ut tribunus pl. fieret, denuntiabat. Quibus minacissimis illius vocibus vehementi et acerrimo spiritu hac oratione Cicero respondit . . . . duorum, tam ipsius quam Curionis.

20

## EXPLANATIO

Statueram, P. C., quoad reus esset P. Clodius, nihil de illo neque apud vos neque alio ullo in loco dicere. Frgm.  
I

Facere videtur hoc . . . gravitatis et modestiae suae, verum summa cum asperitate, quamvis absolutus sit Clodius, tamen incestum vere commisisse adhuc adseverat. Hoc enim testificando, se omni humanitate et patientia reo P. Clodio pepercisse, sine dubio . . . confirmat veritatem sui testimonii, ut omnia de illo cum fide dixerit, cui per  
 30 illud tempus reatus parcendum putaverit.